



**Quæstionum Canonicarum, In Quinque Libros
Decretalium, Tomus ...**

In Librum II. Decretalium, Per Triginta Titulos Distributum, In Quo Agitur
De Judiciis, Foro Competenti, Libelli Oblatione, Mutuis petitionibus, ...

Krimer, Ferdinand

Augustæ Vindelicorum, 1708

Articulus VI. De probatione facienda in judiciis communibus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73001](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73001)

semper est pro Reo convento, donec aliquid contra ipsum ostensum sit; dum autem verbum aliquod, aut sententia *dubia* profertur, nihil ostensum est, cum nesciatur, in quo sensu intelligi debeat. Non autem semper exigi in civilibus causis probationes manifestissimas, patebit in titulis seqq.

ARTICULUS VI.

De probatione facienda in judiciis communibus.

1499. **J**udicia *communia*, seu *duplicia* dicuntur, in quibus quilibet litigantium est Actor, & Reus; consequenter, quilibet subit onus faciendæ probationis, prout contingit in judiciis familiæ heriscundæ, communi dividundo, & finium regundorum. Quæ porro in his judiciis probatio adhibenda sit? diximus à n. 1457. ubi etiam exposuimus, quis obtineat in iudicio *finium regundorum*, ubi scilicet agitur, ut agris, quando litigantes confines agros habent, termini ponantur, ut dicitur §. *quædam actiones*, Institut. de actionibus; &c.

1500. Potissima quæstio est in iudicio, quo agitur de retinenda possessione, utroque litigantium contendente, se in solidum possidere rem eandem, ac petente, sibi possessionem adjudicari, alteri simul imponendo, ut desistat ab ea occupanda, & injuste molestando. De hoc agitur in c. *Licet causam*, q. de probat. ubi dicitur, quod si Actor, & Reus agant in iudicio possessionis retinendæ, is obtineat, qui antiquiorem possessionem, maximè titulo justificatam probat, vel meliores probationes respectu possessionis adducit. Ex quo c. deducitur. 1. quod probatâ antiquiori possessione, illa, quæ est junior, clandestina, & turbativa præsumatur, ut colligitur ex cit. c. *Licet*, ibi: *illa procul dubio sine justo titulo*; sic Farinacius p. 1. in recentior. decis. 476. n. 4. Deinde, per exactionem gabellarum probari quasi possessionem jurisdictionis, ut notatur ibidem illis verbis: *aliqua servitia*; sic Menochius 15. remed. recuper. n. 327. Deducitur 3. duobus modis posse agi interdicto *retinendæ pos-*

sessionis; nimirum, vel ut Actor in solidum contendat, & petat, sibi omnem possessionem adjudicari, & adversario præcipi, ut desistat à præsentè molestatione, & in futurum non molester; insuper petendo compensationem damnorum, seu quanti interest, molestationem factam non esse: vel, si unus contendat, sibi competere possessionem aliquam, v. g. ut Domino proprietatis, alter, tanquam usufructuario; & in primo aliter, aliter in secundo esse pronuntiandum. Si enim uterque contendat totam possessionem esse suam, pronuntiare non debet dicendo, *uti possidetis, ita possideatis deinceps* (quia duo non possunt eandem rem in solidum possidere) sed vel habenti antiquiorem possessionem, ut dictum est, vel meliores probationes, debet rem adjudicare; ita c. *licet causam*.

ARTICULUS VII.

Quam vim probandi habeat narratio facti?

Qualiter probetur per *acta iudicii*, rem ita factam esse, prout in illis scriptum reperitur, diximus n. 160; quæstio hic est, quam vim probandi habeant ea, quæ narrantur in literis Pontificis? de hoc casu agitur in Clement. unic. de probat. ubi sic disponitur: *literis Apostolicis*, quibus nos dignitates quaslibet, seu beneficia collationi nostræ, vel sedi Apostolicæ reservasse, aut resignationem beneficii alicujus recepisse, vel recipiendi potestatem alii commisisse, vel aliquem excommunicasse, seu suspendisse, seu aliquem Capellanum nostrum, vel familiarem fuisse, vel alia similia (*super quibus gratia, vel intentio nostra fundatur*) fecisse narramus, censemus *super sic narratis fidem plenariam adhibendam*. Volentes ad præterita, & *pendentia (etiam per appellationem) negotia, hoc extendi*.

Circa hanc dispositionem not. 1. eam procedere, quando Pontifex narrat *factum proprium* in literis, super quibus fundatur gratia Papæ, factum proprium narrantis, ut patet ex cit. textu; & ejusmodi verba narrativa, plenam facere